

DE SERMONE DOMINI IN MONTE,

**G** sicut sunt supra, vel blasphemie, vel furta, vel ebriositas: & si qua sunt alia de quibus nobis iudicare permittitur, dicente Apostolo, Quid enim mihi de his qui foris sunt iudicare? Nonne de iis qui intus sunt vos iudicatis? De genere autem ciborum, quia possunt bono animo & simplici corde sine vitio concupiscentia, quicunque humani cibi indifferenter sumi, prohibet idem Apostolus iudicari eos, qui carnibus vescuntur & vinum bibebant, ab eis qui se ab huiusmodi alimentis temperabant. Qui manducat, inquit, non manducantem non spernat: & qui non manducat, manducantem non iudicat. Ibi etiam ait, Tu quis es qui iudicas alienum seruum? domino suo stat, aut cadit. De talibus enim rebus, quae possunt bono animo & simplici & magnanimo fieri, quantum etiam possunt non bono, volebant illi cum homines essent in ocula cordis ferre sententiam, de quibus solus deus iudicat. Ad hoc pertinet etiam illud quod alio loco dicit, Nolite ante tempus iudicare, quousque veniat dominus, qui & illuminabit abscondita tenebrarum & manifestabit cogitationes cordis: & tunc laus erit unicuique a deo. Sunt ergo quaedam facta media quae ignoramus quo animo fiant, quia & bono & malo fieri possunt, de quibus

**H** temerarium est iudicare, maxime ut condemnemus. Horum autem venit tempus ut iudicentur, cum dominus illuminabit abscondita tenebrarum & manifestabit cogitationes cordis. Item alio loco dicit Apostolus, Quorundam autem hominum peccata manifesta sunt praecedentia ad iudicium, quaedam autem & subsequuntur. Manifesta ea dicit, de quibus clarum est quo animo fiant. Haec praecedunt ad iudicium: id est, quia si fuerit ista subsecutum iudicium, non est temerarium. Subsequuntur autem illa quae occulta sunt, quae nec ipsa latebunt tempore suo. Sic & de bonis factis intellegendum est. Nam ita subiunxit: similiter & facta bona manifesta sunt, & quaecumque aliter se habent abscondi non possunt. De manifestis ergo iudicemus, de occultis vero deo iudicium relinquamus: quia & ipsa abscondi non possunt, siue mala siue bona, cum tempus aduenerit quo manifestentur. Duo sunt autem in quibus temerarium iudicium cauere debemus: cum incertum est quo animo quid factum fuerit: vel cum incertum sit qualis futurus sit, qui nunc vel bonus vel malus apparet. Si ergo quispiam, verbi gratia, conquestus de stomacho ieiunare noluit: & tu id

**I** non credes edacitatis vitio tribueris, temere iudicabis. Item si manifesta edacitatem ebriositatemque cognoueris, & ita reprehenderis quasi nunquam illa possit corrigi atque mutari, nihilominus temere iudicabis. Non ergo reprehendamus ea quae nescimus quo animo fiant: neque ita reprehendamus quae manifesta sunt ut desperemus sanitatem. Euitabimus iudicium, de quo nunc dicitur, Nolite iudicare ne iudicetur de vobis. Potest autem mouere quod ait, In quo enim iudicio iudicaueritis, iudicabitur de vobis: & in qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis. Nunquid enim si nos in iudicio temerario iudicauerimus, temere etiam de nobis deus iudicabit? Aut nunquid si mensura iniqua mensi fuerimus, apud deum iniqua mensura est unde nobis remetietur? Nam & mensurae nomine ipsum iudicium significatum arbitror. Nullo modo deus vel temere iudicat, vel iniqua mensura cuiquam respondit. Sed hoc dictum est, quoniam temeritas qua punis alium, eadem ipsa te puniat necesse est. Nisi forte arbitrandum est quod iniquitas ei noceat aliquid in quem procedit, ei autem nihil a quo procedit: imo vero saepe nihil noceat ei qui patitur iniuriam, ei autem qui facit necesse est ut noceat. Quid enim nocuit martyribus iniquitas persecutorum? Ipsi autem persecutoribus plurimum. Quia & si aliqui eorum correcti sunt, eo tamen tempore quo persequerentur, excecauit illos malitia eorum. Sic & temerarium iudicium

plurimumque nihil noceat ei de quo temere iudicatur, ei autem qui temere iudicat ipsa temeritas necesse est ut noceat. Ista regula etiam illud dictum arbitror, Omnis qui percussit gladio, gladio morietur. Quam multa enim gladio percutiunt, nec tamen in gladio moriuntur, sicut neque ipse Petrus. Sed ne istud diceret venia peccatori talem euasisse poenam quis putet: quamquam nihil absurdius, quam ut maiorem putet gladium poenam esse potuisse, quae Petro non accidit, quam crucis quae accidit: quid tamen de latronibus dictum est, qui cum domino crucifixi sunt: quia & ille qui meruit veniam, postquam crucifixus est meruit, & alter omnino non meruit? An forte oes quos occiderant, crucifixerant, & propterea hoc etiam ipsi pati meruerant? Ridiculum est hoc putare. Quid ergo aliud dictum est, Omnis enim qui in gladio percussit, gladio morietur: nisi quia ipso peccato anima moritur, quod dicitur commiserit? Et quoniam de temerario & iniquo iudicio hoc loco dominus monet: vult enim ut simplici corde, & in illum deum intenti faciamus quaecumque facimus: & multa incertum est quo animo fiant, de quibus iudicare temerarium est. Maxime autem hi temere iudicant de incertis, & facile reprehendunt, qui magis amant vituperare & damnare, quam emendare atque corrigere: quod vitium vel superbiae est, vel inuidiae. Et consequenter subiicit & dicit, Quid autem vides festucam in oculo fratris tui, trabem autem in oculo tuo non vides? Ut si forte verbi gratia, ira ille peccauit, tu odio reprehendas. Quam autem inter festucam & trabem, quasi tantum inter iram distat & odium. Odium enim est ira inueterata, quasi quae vetustate ipsa tantum robur acceperit, ut merito appelletur trabes. Fieri autem potest, ut si irascaris homini, velis eum corrigi. Si autem oderis hominem, non potes eum vellem corrigere. Quomodo enim dicis fratri tuo, Sine etiam festucam de oculo tuo, & ecce trabes est in oculo tuo? Hypocrita, eice primum trabem de oculo tuo, & reliqua id est primo abs te expelle odium, deinde poteris iam cum quem diligis emendare. Et bene ait Hypocrita, Accusare enim vitia, officium est bonorum virorum & benefactorum. Quod cum malefici agunt, alienas partes agunt: sicut hypocritae, qui tegunt sub persona quod sunt, & ostentant in persona quod non sunt. Hypocritarum ergo nomine simulators acciperis. Et est vere multum cauendum & molestum simulatum genus, qui cum omnium vitiorum acculationes odio & liuore suscipiant, etiam consolatores videri se volunt. Et ideo pie cauteque vigilandum est, ut cum aliquem reprehendere vel obiurgare nos necessitas coegerit, primum cogitemus vitium tale sit vitium quod nunquam habuimus, vel quo iam caruimus. Et si nunquam habuimus, cogitemus & nos homines esse, & habere potuisse. Si vero habuimus, & non habemus, tangat memoriam communis fragilitas, ut illam reprehensionem aut obiurgationem non odium, sed misericordia praecedat: ut siue ad correctionem eius, propter quem id facimus, siue ad peruersionem valuerit, nam incertum est exitus, nos tamen de simplicitate oculi nostri securi simus. Si autem cogitantes nosmetipsos inuenerimus in eo esse vitio, in quo est ille quem reprehendere parabamus, non reprehedamus neque obiurgemus, sed tamen congemiscamus: & non illum ad obtemperandum nobis, sed ad pariter cauedum inuenimus. Nam & illud quod dicit Apostolus, Factus sum Iudaeis tanquam Iudaeus, ut Iudaeos lucrifacerem. His qui sub lege erant, quasi sub lege essem, cum non sim ipse sub lege, ut eos qui sub lege erant lucrifacerem: His qui sine lege sunt, quasi sine lege, cum sine lege dei non essem, sed sim in lege Christi, ut lucrifacerem eos qui sine lege sunt. Factus sum infirmis infirmus, ut infirmos lucrifacerem: omnibus omnia factus sum, ut omnes lucrifacerem: non

M  
T  
consul  
tores,

1. Cor. 9.